

platione alicuius operis, ex qua insurgeret motus libidinosus, quando tamen opus illud relinquere non tenetur, vt accidere potest confessori, audiendi in confessione huiusmodi peccata, lectori studentis, & huiusmodi materis operam danti, pro lectione, disputatione, aut meditatione: dummodo non consentiant. Et si non possent huiusmodi pollutiones pati, sine consensu voluntatis in illa delectatione, vel propter habitum malum, aut malam qualitatem, ad id inclinantes, quid agendum? tenetur abstinere, & huiusmodi exercitia postponere ait Nauarus. c. 16. num. 7. Et quamuis voluntas non consentiat, nec illam velit; non tamen potest fieri, quin delectatio sentiat, & mens distrahatur, ita, ut quandoque suæ operationi attendere non possit: esse, ne per hoc delectatio illa peccatum? Dicitur quod non delectatio namque in sensu exteriori, qui est tactus, quantacumque sit, est naturalis, & sine peccato, sed instantim peccatum esse potest, in quantum est malè circumstantia, vt supra dictum est, & ab appetitu interiori affectata, vel acceptata. Nec quia vsus impeditur, ut non possit spiritalia considerare, in illo actu delectationis dicendum est, delectationem esse peccatum.

*Delectatio in sensu exteriori tactus non est peccatum.*

Sed contra; sensus exteriores, & inferiores potentia: naturaliter obedire tenentur; sed quod nunc non obediunt, est poena primi peccati; ergo saltem illa delectatio, contra voluntatem, erit venialis, ut alia: poenales sequentes peccatum originale. Respondeo, si primus homo consideretur in puris naturalibus; vt compositus ex carne, & spiritu nullam pacem sensus, & ratio apta nata erant habere; sicut, vt compositus ex contrariis qualitibus, immortalis esse non poterat: sed quia natura hominis, propter suam dignitatem, sic exigebat; vt scilicet partes inferiores superioribus obedirent: quod cum ab intrinseco suæ naturæ fieri non poterat, donatum fuit ei ab extrinseco: ideo inter alia rationes, data fuerunt ei dona gratuita, vt etiam & immortalitas, qui cum se Deo opponeret, per voluntatem, sensit & in se ipso hanc rebellionem, vt sensus se rationi opponerent, & qualitates elementales ad inuicem se destruerent. Vnde sequitur, quod quamuis inferiores potentias rationi non obedire, sit poena peccati, sicut & mors, in quantum fuit ei subtractum illud, quod suæ naturæ conueniens erat, ob suam dignitatem: tamen motus illi, absolute considerati, sunt merè naturales, sicut mors naturalis est, & tamen est poena peccati. Nec dicta superius, de motu appetitus concupiscibilis, & irascibilis non prauento a voluntate, esse peccatum his, quæ hic dicta sunt, aduersantur nam hoc illis accidit, quatenus sunt hominis, ideo delectatio consequens apprehensionem sensuum interiorum est venialis, saltem, vt dictum est ibi: sed delectatio, consequens apprehensionem sensuum exteriorum, est communis homini, & brutis, & est ita naturalis, vt rationi non obediatur: vt etiam affirmat. D. Tho. prima secundæ, q. 3. r. artic. 7. & ideo in concupiscentia corporali non cadit peccatum: unde accidit quandoque, ait in eadem q. art. 3. aliquem sentire delectationem secundum corpus, de qua secundum rationem tristitiam habebit.

Hinc sequitur, mulierem inuitam violatam, sentiendo delectationem ueneriam, non peccare, quamuis non vociferetur, aut aliquo modo se defendat, ob verecundiam; dummodo non se componat, aut se accommodet, & animo non consentiat.

*Pollutio voluntaria in sua causa.*

Pollutio igitur nocturna, quamuis in se voluntaria esse non possit, vt dictum est, potest tamen esse voluntaria in sua causa: & hoc pluribus modis, prout plures cause in somno illam inducere possunt. Quandoque causa pollutionis erit superfluitas sanguinis, in semen resolutis, caulata ex nimia corporis calefactione: & hoc si erit ex causa culpabili, puta ex superfluitate cibi, & potus, de se-  
ro sum-